



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 6. Concilium Bragense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

partiti. Alani Lusitaniam, & Provin-
ciam Carthaginensem infederunt, Van-
dali Bœticam, & Suevi Galæciam. Per
hos incurfus quidam Episcopi ex Hispa-
nia fugerunt, amissis gregibus; multi
enim Fidelium fuga dispersi, alii in obses-
fis urbibus gladio, aut æumnis confecti,
aut in captivitatem abrepti. Tamen
major numerus eorum Episcoporum fuit,
qui permanserunt, quamvis modica gre-
gis sui pars superesset, tamque Pastores,
quam populi continuis periculis expo-
nerentur.

§. VI.

Concilium Bragense.

Ad hæc tempora quoddam Concilium
Bragæ, seu Braccaræ, in Lusitania ha-
bitum, referunt, cui Episcopus Pancra-
tianus præsidebat. Is locutus est in hunc
modum: *Oculis vestris conspiciatis, Fra-
tres mei! quam dire Barbari totam Hi-
spaniam devastent, in Ecclesias grassan-
tur, Servos Dei trucidant, Sanctorum
memoriam, ossa, sepulchra, cæmeteria pro-
fanant. Si Celtiberiam, & Carpetaniam
excepero, reliqua omnia ad Pyrenæos sub
eorum potestate sunt. Cumque eadem tem-
pestas nostris cervicibus immineat, con-
gregare vos volui, ut suis quisque rebus
prospiciat, & omnes simul afflictis Eccle-
siis remedium afferamus. Animarum sa-*

luti,

Sæculum V.
A. C. 413.

*Id. hist.
Vand. an.
446. Aug. ep.
228. n. 5. al.
180. ad Ho.
nor.*

*tom. 2. Cons.
p. 1508.*

*Concilium
Bragense.*

Sæculum V.

A. C. 413.

luti, Fratres mei! consulamus! ne tantarum calamitatum pondus eas in viam peccatorum abripiat, & fidei renuntiare cogat. In hanc finem ante ovis nostrorum oculos nostræ constantie exemplum ponamus. Patiamur pro Jesu Christum aliquam tot tormentorum partem, quam ipse pro nobis tulit! quia aliqui inter Alanos, Suevos, & Vandalos Idololatri sunt, alii Ariani, suadeo, ut, si vobis visum fuerit, pro majori securitate contra istos errores fidem nostram declavemus.

Concilium
Bragense.

Omnibus Episcopis propositum probantibus, Pancratianus Ecclesiæ Catholicæ fidem compendio declarare cepit, & ad singulos articulos Episcopi respondebant: Ita credimus, Pancratianus subiunxit: jam quid circa SS. Reliquias agendum, statuite! (*) Elypandus Conimbricensis ait: Non omnes eodem modo eas salvare poterimus; quisque, sicut occasio tulerit, faciat! Barbari ad nostra pervenerunt, Olissiponem arctissime circumgunt, Emeritam, & Asturigam tenent, propediem in nos irruent. Unusquisque nostrum ad suos redeat, Fideles consolentur; Sanctorum corpora decenter occultent,

(*) Contra Protestantem, impudenter dicentem, in antiqua Ecclesia sacris Reliquiis nullum honorem fuisse exhibitum, quam quod non insepultæ jacuerint,

tent, nobisque indicem locorum, & ca-
 vernarum, quo illa deposuerint, mittant,
 ne labente tempore eorum memoria pereat.

Cum omnibus Episcopis placuisset consilium, Pancratianus addidit: *Ite omnes in pace! solus frater noster Potamius remaneat, quia destructa est Ecclesia ejus Eminiana, quam Barbari vastant.* Potamius dixit: *Ego quoque abibo, ut ovibus meis solatio sim, & cum eis pro Jesu Christo patiar.* Non ideo Episcopi munus suscepi, ut in prosperis vivam, sed ut laborem. Pancratianus: *Sapienter loqueris, justum est, quod vis, abitum tuum probo, Deus te conservet!* Omnes Episcopi dixerunt: *Deus in bono proposito te confirmet! omnes probamus; in pace Jesu Christi recedamus!*

Hæc solum de hoc Concilio nobis supersunt cum subscriptionibus decem Episcoporum, videlicet Pancratiani Braccarenensis, Gelasii Emeritani, Elipandi Conimbricensis, Pamerii Igeditaviensis, Arisberti Portuensis, Deusdedit Luci Augusti, Potamii seu potius Pontamii Eminiani, Tiburcii Lamecensis, Agathii Iriensis, Petri Camotensis. Circa illud tempus Arisbertus Samerio Archidiacono Braccarensi scripsit in hunc modum: *Miseret me tui, Frater mi! miseret me Episcopi, & Capitis nostri, Pancratiani. Exilium tuum doleo! Deus calamitatem*

Sæculum V. *nostram oculis suæ Misericordiæ respiciat !* A. C. 413. *Conimbrica est expugnata, Servus Dei gladio interfecti, Elipandus captivus abducitur. Ulissipo libertatem auro redemit. Igeditavia obsidetur. Miseria, singultus, angustiae sunt undique. Quae Suevi fecerint in Galæcia vidisti; his judica, quæ furentibus Alanis in Istania sit rerum facies. Fidei Decretum quæ petis, tibi mitto, nam scripta mecum portavi. In dies eadem fata expecto. Omnia mittam, si locum, ubi lo-tueris, rescivero. Misericors sit nobis Deus !*

§. VII.

Ethnicorum Objectiones.

*Aug. II.
Retr. c. 43.
Sup. L. V. §.
9. Tertul.
Apol. c. 40.*

Tot populorum barbarorum irruptiones, & præprimis Roma, a Gothis capta, Gentilibus occasionem præbuerunt, veteres querelas, calumniasque in Religionem Catholicam recudendi, pro antiquo suo more, quo malorum omnium, quæ in orbe terrarum acciderent, causam Christianos inclamabant. Ex eo tempore, inquiebant, quo ista impietas orbem infecit, sensim Romanorum Potentia in ruinam inclinata est. Hujus Imperii fundatores, & tutelares Dii eam mensura, qua cultus eorum negligi cepit, auxilium suum corruenti denegarunt; postquam autem Deorum Reverentia penitus